poris ab Apſide ſumma ad Apſidem imam in Ellipſi confectus, ſit graduum 180, conficietur angulus VCp, in deſcenſu corporis ab Apſide ſumma ad Apſidem imam in Orbe propemodum circulari, quem corpus quodvis vi centripeta dignitati A^{n-3} proportionali deſcribit, æqualis angulo graduum $\frac{180}{\sqrt{n}}$; & hoc angulo repetito corpus redibit ab Apſide ima ad apſidem ſummam, & ſic deinceps in infinitum. Ut ſi vis centripeta ſit ut diſtantia corporis a centro, id eſt ut A ſeu $\frac{A^4}{A^3}$, erit n æqualis 4 & $\sqrt{4}$ æqualis 2; adeoq; angulus inter Apſidem ſummam & Apſidem imam æqualis $\frac{180}{2}$ *gr.* ſeu 90*gr.* Completa igitur quarta parte revolutionis unius corpus perveniet ad Apſidem imam, & completa alia quarta parte ad Apſidem ſummam, & ſic deinceps per vices in infinitum. Id quod etiam ex Propoſitione X. manifeſtum eſt. Nam corpus urgente hac vi centripeta revolvetur in Ellipſi immobili, cujus centrum eſt in centro virium. Quod ſi vis centripeta ſit reciproce ut diſtantia, id eſt directe ut $\frac{1}{A}$ ſeu $\frac{A^2}{A^3}$, erit $n=2$, adeoq; inter Apſidem ſummam & imam angulus erit graduum $\frac{180}{\sqrt{2}}$ ſeu 127 *gr.* 17 *min.* & propterea corpus tali vi revolvens, perpetua anguli hujus repetitione, vicibus alternis ab Apſide ſumma ad imam & ab ima ad ſummam perveniet in æternum. Porro ſi vis centripeta ſit reciproce ut Latus quadrato-quadratum undecimæ dignitatis Altitudinis, id eſt reciproce ut $A^{\frac{11}{4}}$, adeoq; directe ut $\frac{1}{A^{\frac{11}{4}}}$ ſeu ut $\frac{A^{\frac{1}{4}}}{A^3}$ erit n æqualis $\frac{1}{4}$, & $\frac{180}{\sqrt{n}}$ *gr.* æqualis 360 *gr.* & propterea corpus de Apſide ſumma diſcedens & ſubinde perpetuo deſcendens, perveniet ad Apſidem imam ubi complevit revolutionem integram, dein perpetuo aſcenſu complendo aliam revolutionem integram, redibit ad Apſidem ſummam: & ſic per vices in æternum.

Ex-

Exempl. 3. Aſſumentes m & n pro quibuſvis indicibus dignitatum Altitudinis, & b, c pro numeris quibuſvis datis, ponamus vim centripetam eſſe ut $\frac{bA^m + cA^n}{A\,cub.}$, id eſt ut $\frac{b \text{ in } \overline{T-X}^m + c \text{ in } \overline{T-X}^n}{A\,cub.}$ ſeu (per eandem Methodum noſtram Serierum convergentium) ut

$$\frac{bT^m - mbXT^{m-1} + \frac{mm-m}{2}bX^2T^{m-2} + cT^n - ncXT^{n-1} + \frac{nn-n}{2}cX^2T^{n-2} \;\&c.}{A\,Cub.}$$

& collatis numeratorum terminis, fiet $RGq. - RFq. + TFq.$ ad $bT^m + cT^n$, ut $-Fq.$ ad $-mbT^{m-1} - ncT^{n-1} + \frac{mm-m}{2} XT^{m-2} + \frac{nn-n}{2} XT^{n-2}$ &c. Et ſumendo rationes ultimas quæ prodeunt ubi orbes ad formam circularem accedunt, fit $Gq.$ ad $bT^{m-1} + cT^{n-1}$, ut $Fq.$ ad $mbT^{m-1} + ncT^{n-1}$, & viciſſim $Gq.$ ad $Fq.$ ut $bT^{m-1} + cT^{n-1}$ ad $mbT^{m-1} + ncT^{n-1}$. Quæ proportio, exponendo altitudinem maximam CV ſeu T Arithmetice per unitatem, fit $Gq.$ ad $Fq.$ ut $b+c$ ad $mb+nc$, adeoq; ut 1 ad $\frac{mb+nc}{b+c}$. Unde eſt G ad F, id eſt angulus VCp ad angulum VCP, ut 1 ad $\sqrt{\frac{mb+nc}{b+c}}$. Et propterea cum angulus VCP inter Apſidem ſummam & Apſidem imam in Ellipſi immobili ſit 180 *gr.* erit angulus VCp inter eaſdem Apſides, in Orbe quem corpus vi centripeta quantitati $\frac{bA^m + cA^n}{A\,cub.}$ proportionali deſcribit, æqualis angulo graduum $180\sqrt{\frac{b+c}{mb+nc}}$. Et eodem argumento ſi vis centripeta ſit ut $\frac{bA^m - cA^n}{A\,cub.}$, angulus inter Apſides invenietur $180\sqrt{\frac{b-c}{mb-nc}}$ graduum. Nec ſecus reſolvetur Problema in caſibus

ſibus